


05

A

1497





77
CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
QUINTA

De

M O T U,
Q V I E T E &
M O T V S S P E C I E B V S,

Quam

Prosperante Jehovâ

P R Æ S I D E

M. G E O R G I O G U T K I O

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
Adjuncto

In florentissimâ Wittebergensi Academiâ

Ventilandam proponit

E B E R H A R D U S H O R N E C K E R U S

Oringensis Francus.

Ad diem 19. Iulii, Anno 1617.

V V I T T E B E R G Æ,

Apud P A U L U M S C H E T L E R U M.



COPIA...

AM...

MOTVS SPECIBVS

U T I O

Philosophie

In...

BERNARDUS HORNECKERUS

Originalis...

...

...

...



CONTEMPLATIONUM PHY-
SICARVM GENERALIVM
QUINTA.

PRÆLOQVIUM.



MOD pulchrè & scitè Basiliius *In fin. epist.*

Magnus ait: *Ex rerum creatarum pulchritu-* *14.*

dine congruenter & rerum opifex declarat

tur; & Irenæus confirmat: Ethnici didic *2. cont. hæc*

erunt Deum esse ab ipsa conditione rerum: res. c. 9.

Ipsa enim conditio ostendit eum, qui condidit eam, & ipsa factus
ra suggerit eum, qui eam fecit, & mundus manifestat eum, qui
se disposuit; quodq; plenius diducit Lactantius, qui inquit: *1. de fal. res*

Nemo tam rudis est, tam feris moribus, qui oculos suos in cælum *lig. c. 2.*

attollens, tametsi nesciat, cuius providentia regatur hoc, quod
cernitur, aliquam tamen esse non intelligat ex ipsa rerum magni
tudine, motu, dispositione constantia, utilitate, pulchritudine,
temperatone &c. illud certè, quo in momento Physicæ

contemplationes ponendæ sint, satis superq; declarat.
Deum enim homines Ethnici, ecclesie vera terminis non inclusi
ex nullo alio eruerunt, quam ex rebus Physicis, & potissi-
imum earundem motu perpetuo & constanti. Motus e-
nim arguit motorem distinctum, nec licet in motoribus pro-
gredi in infinitum: unde concedendus erit primus, &
quidem unus, cum duo motores aequè primi & eiusdem ratio-
nis dari nec possint, nec debeant. Non igitur infrugiferum
erit ipsam motus doctrinam sub accuratæ disquisitionis
incudem si revocaverimus, & ita disputationes hasce

2


Phy-

Physicas continuaverimus. Quod ut accuratiore methodi forma peragatur, repetendum est illud Aristotelis, quo omnem scientiam tribus, sc. obiecto, principijs, & affectionibus absolvi pronunciat.

Quia igitur antegressæ disputationes corporum naturalium, principiorumq; naturam expeditam dedere: methodi lex exactissima postulabit, ipsas affectiones nunc aggrediamur, ex quibus primas tribuimus motui, cum ad sequentium cognitionem multum conferre videatur.

Huius Jecundia ut sit paulo accuratior & felicior, largire ô Deus spiritum gratia, veritatis & sapientia, per & propter filium Unigenitum, Omnipotentem, Omniscium, & Omnipresentem, nostrumq; Redemptorem, & Satisfactorem. Sit igitur.

Thesis I.



De affectionibus scientiæ Physicæ duo in genere sunt præmonenda. I. quod sint proprie sic dictæ, positiva & realiter à corpore naturali distincta. Habent enim sua principia essendi, & causas, quibus de corpore naturali demonstrari possunt.

II.

Præmonendum quod affectiones corporum naturalium generalissimæ sint duplices: quædam internæ, quædam externæ. Internæ sunt vel actus cum potentia junctus, vel actus puri. Actus cum potentia junctus est Motus, actus puri sunt Quantitas continua & Qualitas. Externæ sunt & Locabile & Tempus.

III.

Hæc disputatio, uti dictum ager de motu, quem qui negat, eum ad Diogenem remittimus, qui Zenonis motum negantis argumenta responsione digna non judicavit, sed ambulando eadem refutavit. Hominis enim contentiosi & protervi est ea negare, quæ etiam sensibus percipiuntur.

4. Nos

IV.

Nos uti de motu nec dubitamus; ita ejus naturam satis difficilem judicamus, quam difficultatem ut tollemus motus descriptionem & affectiones inquiremus. Descriptio juxta Aristotelem sic habet: *Κίνησις ἐστὶν ἢ τὸ δυνάμει ὄντι ἢ ἐντελέχεια, ἢ ἕξις*, Motus est actus Entis in potentia, quatenus tale est.

V.

Resolvitur definitiva oratio hæc in subiectum & Prædicatum. Subiectum accipitur vel generaliter, vel specialiter, vel specialissime. Generaliter accepta *κίνησις* quamlibet *μεταβολῶν* denotat, quæ sit in aliquo subiecto, sive actu, sive potentia jam existente; Sive etiam motio illa substantiæ, sive accidentis ingenium obtineat, quo pacto oratorum affectus, certis membrorum gestibus expressi motus dicuntur. Specialiter accipitur pro mutatione subiecti materialis, quo in significato generationem & corruptionem complectitur. Specialissime sumitur, pro forma fluente, quæ acceptio hujus loci esse statuitur. Jacobus Martini in disputat. Phys. generalibus Anno 1614. impressis. disp. 8. th. 6. 7. 8.

VI.

Prædicatum hujus definitivæ Orationis, sive ipsa definitio resolvitur in genus & differentiam, sive formalem rationem. Generis vicem sustinet *ἐντελέχεια*, quæ vox ut apud Aristotelem est usitatissima, & nunquam non obvia; ita, quid ea significet, non ita notum, pluresq; in genuina hujus significatione investiganda laborarunt, adeo ut de Hermolao Barbaro, viro doctissimo referant, eum, cum aliquando demonis colloquium nactus esset, nihil ab eo petiisse, nisi ut sibi aperiret, quid vox *ἐντελέχεια* apud Aristotelem significet, ut annotat Sennertus disput. Phys. 8. th. 4.

VII.

Cicero Tuscular, i. vertit *ἐντελέχεια* per continuatam motionem, quam sententiam defendere nititur Politianus i. Miscell. Sed Ciceronis interpretatio nulli Peripatetico placere vel potest, vel debet: quia hoc modo species esset latior genere, cum omnis continuata motio sit motus, sed non omnis motus sit continuata motio. Id enim latius est, à quo non convertitur existendi consequentia: Sic animal latius est, homine, quia ab animali non convertitur existendi consequentia.

A 3

Di-

Dicere namq; , & inferre possum, Omnis homo est animal; Sed non convertitur: Ergo omne animal est homo: Deinde quod motione est, nondum actu est in natura, quod vero ἐντελεχεία est, jam actu est in natura. Omnis enim res dividuntur καὶ δυνάμιν καὶ ἐντελεχείαν, unde simul in uno esse nequeunt. Tandem quomodo illa Ciceronis interpretatio conciliari posset cum ipso Aristotele, à quo anima ἐντελεχεία πρῶτη appellatur, quam tamen continuatam motionem cave dixeris.

II X.

Dicitur autem ἐντελεχεία ab ἐντελές, quod est perfectum, & ἔχειν habere, estq; si vocem voci reddas, perfectionis habitio, seu perfectionis habitio. Gilb. Iach. in instit. Ph. p. 194. Erit igitur ἐντελεχεία nihil aliud, quam id, quod potentiam, quam res habet, perficit, & implet, facitq; ut res illud, quod ante potestate esse dicebatur, jam re ipsa & perfecta esse dicatur, & sic appelletur potentie impletio seu complementum.

I X.

Rectè igitur vocem hanc vertit Boetius per actum, qui hic non solum actionem significat; et si vulgò sic accipitur: sed id, à quo res reverà aliquid esse dicitur. Mutuanda enim sunt, ut Scal. exer. 359. l. 2. ait, quotidiane voces ad usum abstrusarum intellectuum: quæ rudibus inchoatisq; ingenijs acerbae sunt: delicatis atq; Ciceronianis etiam ridiculae.

X.

Accipitur vero actus in hac descriptione non pro eo, per quem res habet esse, qui forma dicitur; nec pro isto, quo res agit, qui Graecis ἐνέργεια dicitur, sed pro actu imperfecto, cum quo semper aliquid potentie reliquum manet. Est enim motus actus Entis naturalis, quod quamvis actu sit unum, est tamen potentiâ aliud, quatenus est in potentia, id est conveniens illi non secundum quod est actu, sed secundum quod est in potetia. Quod vero motus sit actus Entis in potentia, hunc in modum probatur per inductionem, id, quo quippiam existens mobile & in potentia, est actu, est actus entis in potentia: sed res est ædificabilis, & per ædificationem, quæ est quidam motus, est in actu, cum antea solum esset ædificabilis. Ergo ædificatio, & subinde quilibet alius motus est actus entis in potentia. Aegid. Roman. 3. Phys. tract. 1. c. 2. Albertus 3. Phys. tract. 1.

ii. Præ-

XI.

Præterea verba ista *Entis in potentia removeant* omnes mutationes momentaneas, quibus tota formæ perfectio simul acquiritur, ut generationem hominis, quæ tota est simul: tum actus perfectos ut summum frigus, & illa quæ nullam in re subjecta potestatem relinquunt. Additur tandem differentiæ loco in definitione: quatenus est in potentia, ut significetur, motum non fieri respectu illius formæ & termini, quem jam res mobilis sibi acquisivit, sed in motu esse successionem seu progressum, quem tendentiam aliàs vocant, ad formam, vel terminum. Exempli gratia aqua calida ut quatuor removeatur ab igne, in ea sic remota est actus: Est enim potentia ad ulteriorem terminum: sed quia removeatur ignis, aqua illa non est in potentia quâ potentia ac proinde amplius non movetur. Unde patet quod differentia motus sit esse in potentia, quæ potentia.

XII.

Sed quomodo illa ratio formalis motus exprimenda? Estne motus formaliter forma fluens, vel fluxus formæ, Relp. neq; simpliciter fluxus formæ, neq; forma fluens, est formalis ratio motus, potissimum tamen forma fluens, & sic non nudus fluxus, sed forma fluens est motus, id est continua acquisitio formæ, ejusq; partim acquisitæ, partim acquirendæ fluxus. Moveri enim non est habere formam, sed est tendere ad formam.

XIII.

Et hæc de motus descriptione: succedunt affectiones, sive consequentia motum, quorum quinque recensentur I. Est movens, seu agens. Omne enim quod movetur, ab alio movetur. Nam fieri non potest, ut idem respectu ejusdem formæ, & actu & potentiâ sit. Id verò quod movet, seu aliquam formam introducit, illam actu possidet; quod movetur, saltem habet potentiam formam recipiendi, unde idem non est, quod movet & movetur.

XIV.

II. Mobile seu patiens, quod motum ab agente excitatum recipit. Motus enim & mobile quatenus talia sunt, ut ne cogitatione quidem separari possunt: ita certum est, quod omnis motus sit in mobili, quemadmodum actio in patiente, non in agente, cum actio &

passio realiter non differant. Nam actio denominat quidem agens tanquam principium à Quo, non verò in Quo; Si verò actio esset in agente, tum esset vel principium activum, quod falsum, quia principium activum est principium actionis, & sic actio esset sui ipsius principium, quod absurdum; vel esset respectus agentis ad patiens, quod itidem falsum: quia iste respectus est ipsa actione posterior, unde actio non erit, nec iste respectus actionem inesse agenti, evincet; vel esset entitas de novo producta, quod itidem nihil efficit. Nam si de novo producitur, per actionem producitur, & sic erit processus in infinitum.

XV.

III. Terminus à Quo. IV. Terminus ad Quem. Motus enim necessario debet habere terminum à quo, qui deponitur, & terminum ad quem, qui acquiritur, quibus si careret motus, tum infinitus esset, quod absurdum. Et quidem duo hi termini sufficiunt nihil obstante eo, quod plures termini ad quos dari possint. Illi enim vel non sunt ultimi & totales; vel non sunt primò & per se intenti, vel non sunt intrinseci, sed saltem consequuntur: ut calefactionis terminus internus essentialis est calor: at raritas & siccitas consequuntur tantum, & sunt termini per accidens.

XVI.

Præcipue vero observandus est terminus ad Quem, qui debet esse divisibilis, & quidem vel divisione proprie sic dicta, & à quantitate ejusque extensione orta; quæ locum habet in augmentatione & motu locali; vel impropria & à multitudine graduum intensiva orta, ut duo, tria, quatuor, quæ ab auctoribus gradus appellantur, qualis divisio locum habet, in alteratione, Nam quicquid moveretur est in potentia quâ potentia: ergo quod moveretur terminum habet divisibilem. Si enim terminum haberet indivisibilem, in instanti produceretur, quod est contra naturam motus.

XVII.

Termini hi motus sunt oppositi, non quidem oppositione contradictoria, quia hæc versatur inter Ens, & non-Ens, ejusque membra semper verum, & falsum dividunt; nec privativa, quia sic terminus ad Quem in instanti produceretur, cum nuda privatio non resistat; nec relativa, quia ad relationem non fit motus, cum adeo debilis sit entitatis, ut per se à natura non intendatur; sed contraria: quia termini

hi

hi non possunt perfectè esse simul in eodem subjecto, sed uno si beunte alter quasi expellitur. Non tamen urgemus hic contrarietatem pressè sumtam, quæ in sola qualitate est; sed talem, quæ sufficit ad oppositionem in terminis motus constituendam.

XVIII.

Sed queritur hic I. an termini à QVO abjectio & termini ad Quem acquisitio sint duo diversi motus. R. negando. Nam unus idemq; motus est, quo relinquitur Witteberga & acquiritur Lipsia; quo minuitur frigus aquæ & acquiritur calor. II. queritur quomodo distinguatur motus à termino? R. non realiter: quia realis distinctio consistit vel inter rem & rem, vel inter realitatem & realitatem diverlam. Motus autem & terminus non se habent ut res & res, nec sunt diverse realitates, sed sunt res & modus. Nec II. differunt nuda ratione ut constat, Ergo modaliter.

XIX.

Quintum motus consequens est tempus. Motus enim est successivum quid. quia in hoc distinguitur motus à rebus alijs, quod hæc sine tota, simul, ut homo, lapis) motus verò partes non sunt simul. Successio igitur est de motus essentia, & predicatur de motu in primo modo per se, continuas verò habet ingenium affectionis & de eodem enunciat in secundo modo per se. Qua de re consule Iacobum Martini disp. Phys. generali 8. probl. 2. Gilbertum Iacchaum lib. 3. institut. Phys. 6. 3, p. 61 & 62.

XX.

Succedunt tandè motus species, de quibus licet hinc agere non teneamur: placet tamen eas generaliter perstringere: Et primò quidem manifestum est, quod non omnis motus indifferenter competat cuivis corpori. Nam accretionem esse solius viventis, quis ignorat? Motus verò localis omnibus corporibus quia competit, de motus speciebus in parte Physices generali agemus.

Deinde videndum in quam categoria motus species reperiantur, ubi statim apparet, quod in substantia locum habere minimè possit motus. Nam productio substantialis, sed generatio non est motus, sed mutatio, quia fit in instanti, quod est contra rationem motus. Idem iudicium fit de corruptione.

XXI

In quantitate motus species habetur, quæ dicitur accretio, ducens
B ad

ad majorem quantitatem, quam solis viventibus attribuimus. *Viventium namq; propria conditio ea est, ut accrescant ex alimento intrinsecus sumto, quod rebus inanimatis non competit. Hæc enim augentur per oppositionem novæ materiæ externam, ubi videre est in igne, qui crescit ea parte, qua habet pabulum, In qualitate datur alteratio, quæ duplex corruptiva & perfectiva.*

XXII.

Ad relationem non est motus, quia relatio potest acquiri sine propriæ subjecti relati mutatione: quod autem movetur, aliter atq; aliter se habet, quod est mutari: In Vbi prædicamento reperitur motus localis, qui duplex, naturalis & violentus. Ille est qui ad locum à natura præscriptum suapte natura fertur, ut motus lapidis deorsum; hic dicitur, qui est contra internam rei propensionem, & quidem ad locum à natura natura non præscriptum, ut motus lapidis sursum.

XXIII.

Ac ceteris categoriis motus ideò removetur, quia nulla in iisdem est contrarietas, & si fortè quædam reperitur, oritur illa ex admixta qualitate. Reliquas motus distinctiones, quibus dividitur in naturalem, animalem; in violentum & violentiæ expertem, nunc quidem præterimus, & lectorem ad libellos methodicos vulgares remittimus.

XXIV.

Et hæc de motu, quem excipit quies, quæ interdum sumitur pro absentia motus in mobili, & sic motui privativè opponitur. Interdum accipitur, pro perfecta termini ad quem possessione invariabili & sic motus quieti subordinatur, & quies motu perfectior est. Quies alia est naturalis, alia animalis, alia violenta. Naturalis est, quam naturæ intentio &abilitas acquirit, quaq; res sub sua forma, & in suo loco subsistit, ut terra & aqua in centro. Animalis est, qua animatum à motu suo naturali cessat, ut indulgens somno quiescit ab appetitu.

Quies violenta est, qua res contra naturam vi in loco alieno detinetur. Tantum de Motu & Quiete quoad theses.

AXIO.

AXIOMATA.

I.

Omne quod movetur, ab alio movetur.

Variis axiomatis hujus hætenus fuit abusus
Sensus verus & Aristotelicus hic est: Omne quod motio-
ne Physica movetur, distinguitur re ab eo, quod movet: Non ita
quidem, quasi agens & patiens semper distinguantur Supposito, sed quod
movens, compositum ex materia & forma, distinguatur re ab eo,
quod movetur, uti in partibus animalis videre est, in quibus una
pars movet aliam.

II.

*Inter motus oppositos datur quies inter-
media.*

Ratio axiomatis desumitur tum ab experientia, tum à ratione. Exo-
perientia desumitur ex pulsu arteriarum. Datur enim quies interme-
dia inter elevationem & compressionem earundem sensu etiam
perceptibilis. Ratio hæc est: quia aliàs concedenda essent duo in-
stantia immediatè cohærentia in motibus Physicis; sequeretur i-
tidem, rem duobus motibus oppositis simul moveri.

III.

*Tria sunt in natura, quæ nulli motui sunt ob-
noxia: totum universum, poli mundi, &
centrum terræ.*

Totum universum nunquam secundum totum movetur, sed saltem
secundum partes. De polis quidam dubitant hoc discursu: Polus
aut est aliquid cæli, aut extra cælum est. Non extra cælum: quia tum
non amplius erit polus: Si verò est aliquid cæli: aut est divisibi-
le, aut indivisibile. Si est divisibile, necessariò movebitur, quia to-
tum continuum ubi movetur, omnes ejus partes moventur. Si
est indivisibile; quodcumq; ei proximum est, erit quoq; indivisi-
bile.

B 2

bile. Verum non sequitur postrema connexio: si indivisibile est. Ergo quodcumq; ei proximum est, id quoq; divisibile erit. Nam multa partibilia per unum impartibile terminari, absurdum non est. Cæterum de polis nota, quando concipiuntur ut punctum Physicum, quod omninò sint mobiles, quando verò ut punctum mathematicum, & termini omnis motus ultimi concipiuntur, tùm immobiles merito dicuntur.

QUÆSTIONES.

I.

*Cur motus naturalis in fine velocior sit,
quam in principio?*

Iucunda hæc est, de cuius veritate, an ita se res habeat, dubitat. Simplicius ad textum, 88. lib. 1. de Cælo, sed experientia refutatur. Sit igitur exemplum: lapis dejicitur alto: is in fine velocius quam in principio movetur. Quæ igitur hujus rei causa? Quidam hanc assignant: motum istum naturalem præcedit violentus. Cum verò initio motui naturali violentus adhuc resistat, naturalem magis retardari asserunt, & postea remittente paulatim violentia, eaq; prorsus in fine destructa incitari magis motum naturalem, ac in fine velocissimum reddi, sublata omni motus violenti resistentiâ, quæ ratio quidem aliquid dicit, sed difficultatem omnem minime tollit.

Alij hanc causam assignant, quod virtus motiva, mobili ad locum suum naturalem propius accidente, magis corroboretur. Hi tribuunt loco vim quandam attrahendi, quæ in locatum propius accedens fortius agat. Alij tandem causam hujus rei in sola medij resistentiâ ponunt, & quidem rectè. Hinc statuunt, lapidem ad terram propius accidentem velocius moveri, quia aer, qui circa terram est, minus resistit. Sed hic oritur iterum difficultas: unde nimiorum minor illa aeris circa terram resistentiâ oriatur? Existimant quidam, aerem circa terram ideò minus resistere quia ob impuritatem suam minus levis est, quæ causa nulla est, cum gravitas & le-
vitas

vitas minoris vel majoris resistentiae causa non sint, sed raritas & densitas. Vera itaque causa istius resistentiae est, quod aer circa terram existens praecedentis aeris partibus motu impellitur minus resistat, quam si non agitur, mansisset, & unitus.

Aer enim qui terga lapidis premit, promovet eodem modo lapidem, quò ventus navem. Nam aer qui truditur à descendente lapide tenuior factus magis dissipatur, & eò magis, quò magis durat motus.

II.

Cur breves deambulationes magis fatigent, & cur in locis aequalibus deambulantes magis defatigemur, quam inaequalibus?

Plus habet haec questio jucunditatis, quam difficultatis. Prius membrum inde patet, quod in istis deambulationibus brevioribus crebra fiat à contrario ad contrarium mutatio, & à quiete ad motum reditus. Posterius probatur: quia in locis aequalibus uni membro tota incumbit actio: In locis inaequalibus verò per intervallum aliae atque aliae corporis partes agunt.

III.

An Physici illi, qui de primo motore in Physicis agunt à se odiis sint accusandi?

Quae sit Aristotelis de primo motore sententia, quod sc. eum constituat, aeternum & infinita virtutis, ex acroamaticis cuilibet inclarescit. Quamvis autem quaedam ibi Aristoteles disputet de motu aeterno, quae ab homine Christiano probari non possunt: tamē illud nos à nostro instituto retardare nec potest, nec debet. Homo enim is fuit, & errare potuit, imò saepe erravit. Nos quaerimus, an absque confusionis vitio in Physicis de aeterno motore tractatio suscipi possit? Qui affirmant in duplici sunt differentiâ. Quidam colligentes unam atque alteram ratiunculam putant, tam posse de Deo in Physicis tractari, quàm de alijs rebus com-

munioribus hæcenus appositis & expositis. Quæ sententia procul dubio erronea est, hæc ob rationes I. quia res nimis distanter sub unum cogit conceptum.

II. Quicquid non est principium & causa naturalis, neque est affectio corporis naturalis, neque species, illud directe & essentialiter ad Physicam non pertinet.

Sed Deus neque est principium & causa naturalis, neque affectio neque species. Ergo Deus directe & essentialiter ad Physicam non pertinet. Quidam verò obiter & incidenter de primo motore, qui Deus est in Physicis tractant, ita tamen ut doctrinam illam essentialiter Physicæ partem non faciant. Et hic rectè sentiunt, cum sine vitio quedam in disciplinis proponi possint, etiamsi strictè & per se ad eandem non pertineant.

IV.

Verumne illud Aristotelis pronunciatum, quod habet 7. Phys. c. 5. Si virtus quedam detur, quæ possit corpus resistens movere per aliquod spacium certò quodam tempore, eadem virtus movebit dimidiatum resistens in eodem tempore per duplex spacium.

Et hic vapulat à multis Aristoteles, & accusatur, quod pugnantia cum experientia proferat. Non enim procedere ajunt. Iste servus potest portare quatuor pondera quadrante horæ per unum stadium. Ergo duo pondera potest portare per duo stadia eodem tempore. Ita non sequitur, ajunt: iste potest projicere lapidem unius ponderis ad 50. passus. Ergo decimam ejus partem potest projicere ad 500. passus

Verum statuimus, Aristotelem nihil contra veritatem pronunciasse modò attendatur.

I. Quod habet Albertus 7, Phys. ut scilicet sit debita proportio moventis & mobilis.

II. Resistentiam non solum considerandum esse prout evenit respectu mobilis, sed prout contingit respectu medi. Ita in decima parte lapidis, quod minor sit resistentia eò magis augetur resistentia medi: unde evenit, ut minimum lapidem non possis æquè projicere, ac si habeas

lapidem justæ magnitudinis.

SOLI DEO GLORIA.

Ors

Ornatissimo ac Politiſſimo Juveni

Dn.

EBERHARDO HORNECKERO,


*Oringeni Franco, Sympatriotæ & Amico
ſuo ſingulariter dilecto.*

*S*unt qui delicias pleno conamine molles
ſectantur, ſunt quos bella cruenta iuvant;
ſunt, quibus in votis per turpia fallere vitam
Otia; nonnullis ſulva talenta placent.
Longe aliud per agis, qui naturalia mente
ſcrutaris doct à nunc **EBERHARDE** tua.
ſi ſic Muſarum luſtrare volumina perges,
Gratus eris Patria, gratus erisq; **DEO.**

Φιλίας ἐνεκα apponebat

Ulricus Ravv Oringeniſis Fr.
SS Theologiæ ſtud.

Ad



Ad eundem.

O Mnia mutari testatur mobile vulgus,
Atq; probat scriptis sat quoq; docta co-
hors.

Hesperias intrat modo Sol, modo surgit ab un-
dis,

Aer & ipse Noto vertitur imbrifero.
Interea aëst immota suo stat pondere tellus
Ceu locus alterna quo sine fine vices.
Talia perlustranti animo Horneckere sagaci
Gratantur meritò turba Novena tibi
Perge ita: Perge bonis a vibus, nec desine cur-
sum;

Sed Motu assiduo progrediare precor.
Aptos sic studijs dabit his tibi motor honores
Summus, & ut valeas utilis esse Vale.

Georgius Camradius Pücher (reutho)
Neopalatinus.

F I N I S.

05 A 1497


ULB Halle 3
003 778 290



1017







CONTEMPLATIONUM PHYSI-
CARVM GENERALIVM
QUINTA

De

M O T U,
Q V I E T E &
M O T V S S P E C I E B V S,

Quam

Prosperante Jehovâ

P R Æ S I D E

M. G E O R G I O G U T K I O

Coloniensi Marchico, Facult: Philosophicæ
Adjuncto

In florentissimâ VVittebergensi Academia

Ventilandam proponit

E B E R H A R D U S H O R N E C K E R U S
Oringensis Francus.

Ad diem 19. Iul. anno 1617.

VVITTEBERGÆ,

Apud P A U L U M S C H E T L E R U M.